



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XXVIII. Qui debeant habere sigilla authentica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

XXVII.

ANNO
CHRISTI
1137.

Quanto scripturarum, quæ sigillo authentico muniuntur, est vsus magis necessarius in partibus Angliæ, vbi publici notarii non existunt, tanto diligentius cauendum est ne per aliquorum insolentiam possint pertrahi ad abusum. Conficiuntur enim, vt audiuius, literæ, ac signantur non tantum a minoribus clericis, verum etiam a prælatis, in quibus manifeste cauetur contraxisse aliquem, contractui vel negotio adfuisse, vel extitisse aliquem ad iudicium euocatum, seu sibi literas citatorias præsentatas, qui tamen nunquam præsens fuerat vel inuentus, imo forsitan in alia prouincia vel diocesi tunc degebat. Ceterum, cum scripturæ huiusmodi falsitatis vitium contineant manifeste, fieri talia vel similia districtius inhibentes, prouida deliberatione sancimus, quod si fuerint in his deliquisse conuicti, & qui talibus literis, maxime in alterius præiudicium, præsumperint ac perseuerauerint, vt scienter pœna falsariis & instrumentis falsis vtentibus debita puniantur.

XXVIII.

Quoniam tabellionum vsus in regno Angliæ non habetur, propter quod magis ad sigilla authentica credi est necesse, vt eorum copia facilius habeatur, statuimus vt sigillum habeant non solum archiepiscopi & episcopi, sed etiam eorum officiales. Item abbates, priores, decani, archidiaconi, & eorum officiales, decani rurales, nec non ecclesiarum cathedralium capitula, & cetera quoque collegia & conuentus cum suis rectoribus, aut di-

Concil. Tom. 28.

Zz ij

uissim, iuxta eorum consuetudinem vel statutum :
 pro varietate quoque cuiuslibet prædictorum, ha-
 beat vniuscuiusque sigillū nomen, puta dignitatis,
 officii, collegii, & etiam illorum proprium nomen,
 qui dignitatis vel officii perpetui gaudent honore,
 insculptum notis & characteribus manifestis, sic-
 que sigillum authenticum habeant. Denique illi
 qui temporale officium susceperint, puta decani
 rurales, & officiales, sigillum suum, quod tantum no-
 men habeat insculptum, finito officio, ei a quo ha-
 beant officium, continue & sine mora resignent.
 Sane de custodia sigillorum curam haberi præcipi-
 mus diligentem, scilicet vnusquisque per se illud
 custodiat, vel vni soli, de cuius fide confidat, custo-
 diendum committat : qui etiam iuret quod fideli-
 ter illud custodiet, alicui nec etiam ipse aliquid inde
 sigillet, ex quo possit alicui præiudicium generari,
 nisi quod dominus eius prius legerit & viderit dili-
 genter, & sic præceperit sigillari. In facienda vero
 sigilli copia fidelis & prouida sit cautela ; fidelis,
 vt indigentibus de facili præbeatur ; prouida, vt
 falsis & fraudulentis penitus denegetur. In princi-
 pio quoque vel in fine cuiuslibet scripturæ authen-
 ticæ sufficientem datam inseri statuimus diei, tem-
 poris, & loci.

XXIX.

Clamorem iustitiæ audiuius conquerentis,
 quod etiam nimis impediunt per cauillationes &
 versutias aduocati, negant plerumque per ignoran-
 tiam iudices imperiti, & illudunt eis per contuma-
 ciam sæpe partes. Nam contingit aliquando, quod